

697

P A T R I S T I C I

698

necessitate. sed quod est uehementius caritate &c. Deficit vero in his verbis: De solo deo deus est. et super homines est — —. Librum hunc non esse *Augustini* post *Erasmum* sensere *Mauriani*, hincque in *T. cit. Appendicem* p. 1. coniecere rationibus in *Admonitione* praeuia expositis, quas repetiit *Oudinus* *T. I. col. 979.* et *Petr. Coustantius* in *Vindiciis vet. Codd. confirmatis*, *Paris. 1715.* p. 4. tuitus est. Vide et *Codd.* alios in *Indice.*

Codicem nostrum ex *Gallia* olim allatum verba margini superiori *fol. 3.* inscripta testantur: *Em. Parisius. XIII. Junij 1395.*

CCXXIII. *V. C. 17*

¹⁴³ Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 371. f. perquam nitide descriptus, literarumque initialium auro et coloribus conspicuus, sed aut exemplaris, aut librarii culpa multum mendosus, ex Bibliotheca, ut suspicor, Mathiae Corvini Regis olim Hung. continet *S. Augustini* Ep. Hipponensis *Libros XXII. de Civitate Dei*, praecedente Librorum Caputumque Tabula. Liber I. incipit litera quadrata: *Gloriosissimam Civitatem Dei sive in hoc tempore (temporum) cursu cum inter impios peregrinat (ur) ex fide uiuens &c.* Totum Opus definit in haec verba: *De istis porro etatibus — —.* Quod itaque de Codice deperiit, in edit. *Mauriana Opp. Augustini* *T. VII. col. 702.* lineis 15. de-

finitur. Dolendum cetera est, tanto selectissimae membranae volumini correctius aliquod Opus commissum non fuisse.

CCXXIV. *VI. G. 15*

Codex membraneus lat. Sec. 529 partim XI. partim XIV. Folior. nunc 106. 4. partim lineis longis, partim per duas columnas, nitide tamen per totum exaratus, rubricisque distinctus, olim, ut *fol. 76.* notatur, *conuentus wienn. ordinis fratrum predicatorum in Austria* fuit, et sequentia complectitur: I. manu Sec. XI. praemisso *Capp. LXI. elencho*, locoque e *Retrattat. Libris: Incipit liber encridion Sancti Augustini Episcopi.* Initium: *Dici non potest dilectissime fili Laurenti &c.* Lectio cum edit. *Maur. Opp. T. VI. col. 195.* plerumque conspirat; video tamen c. 2. *hominis sapientia pro homini sapientia*, c. 4. *quid in rationem — non euebat pro non conueniat*, item *ab intentione mentis pro intelligentia mentis*, item *sine ulla ratione pro sine ulla dubitatione* &c. positum, quas lectiones Editores in suis Exemplis non inuenisse videntur. Compactoris vitio interceptum est *Enchiridion* aliis *Tractatibus fol. 17.* et non nisi *fol. 91.* resumitur, deficitque in his c. 95. quod in Codice est *LIV. verbis: unus esset assumendus per misericordiam alius per iudicium — —.*

II. *fol. 17.* manu Sec. XIV. ut reliqua Succeedentia: *Tractatus boecij de Vnitate et vno.* Incipit: *Uni-*

X x 3